

nes singulis Dissertationibus subjectas adsuere; earum enim direptione, quæ generatim tradita erunt, adjectis ita, effusisque luminibus clarius explicatum iri arbitror. Equidem nemo non videt, me in concinnando hujus tractationis ordine non secutum fuisse eandem omnino rationem, quam in cæteris juris ecclesiastici partibus exornandis mihi proposui. At satius duxi, perspicuitati rerum consulere, quam perpetuò me mihimet ipsi similem exhibere, etiam tùm, cum materies singularem methodum postularer. Porro quæ digerenda in præsentia sunt, ita in conspectum meum adducuntur, ut extendi, proponi, explicari paulo aliter debeant. De hoc proposito benevolùm Lectorem, ut judicet, rogo, postquam universa in hoc libello descripta sedulò perlegerit, & apprime, uti decet, perpenderit; neque enim dubito, quin is, si non cætera, methodum ipsam saltem, utut singularem, veluti maximè opportunam, minimè sit improbaturus.



DISSERTATIO PRIMA
DE CONJUGIORUM NATURA
ET DIGNITATE;
ITEM PROPRIETATIBUS AC QUALITATIBUS
UNIVERSIS.

MARIS, & fœminæ conjunctionem ad perennem, & ferè immortalem propagationem generis ordinatam, hominibus quidem esse cum brutis quibuscumque communem, naturali ratione intelligimus. Quoties verò consideremus, in eadem conjunctione naturam in brutis nihil aliud postulare, quam foetum, & educationem, in hominibus autem excellentiora quædam officia constituisse, quibus & magis magisque firmaretur societas inter ipsos, & ad Deum supremum omnium Conditorum in procreanda aequè, ac tuenda sobole suspiceretur; facile colligitur, singulares hominibus regulas esse vel ab ipsis naturæ institutionibus custodiendas. Verum, licet in definiendis generalibus naturæ præceptis in unam facilè sententiam conveniamus omnes, atque, ut exemplum proferam, fateamur spontè, & sine discrimine, servandam esse in conjugis honestatem; in iis tamen, quæ veluti consecraria ex generalibus deducuntur, non perpetua, & constantissima semper fuit gentium omnium, ne illarum quidem, quæ cultiores habentur, sententia. Incredibile propemodum dictum est, quam varia fuerit pro locorum, ac temporum varietate disciplina conjugiorum inducta; unde sæpissimè contingit, ut inhonesta, ac turpis, ac ne conjugii quidem nomine digna, apud aliquos ea conjunctio haberetur, quæ

apud alios decora videretur, & honestissima. Infinitus propemodum essem, si varios gentium mores in hac re inductos in præsentia recenserem. Multa paucis perstrinxit Alexander ab Alexandro in lib. 1. Genial. dier. cap. 24. inter quæ lego, veteres Ægyptios, Persas, Epirotas, & Macedones sororum amoribus, conjugisque passim fuisse implicatos; imò & Persas ipsos, Arabas, Mauros, nonnullosque ex Indis cum suis etiam parentibus coivisse, quo spectare videtur, quod scribebat Ovidius lib. 1. Metamorph. de quibusdam Provinciis, in quibus & nato genitrix, & nata parenti jungitur, & pietas geminato crescit amore; præterea apud Romanos Julium Cæsarem decrevisse, ut quot quisque vellet, uxores duceret; & sub Valentiniano Cæsare lata lege publica invaluisse, ut duas uxores ducere liceret, quemadmodum etiam testatur Nicephorus Callixtus in lib. 11. histor. Ecclesiast. cap. 33., quod & apud Athenienses olim in usu fuisse fertur; quodque vix veri speciem habet, apud Lymitinos populos, filios ex promiscuis conjunctionibus editos in unum cogi singulis quinque annis consuevisse, ut quem quisque sibi similem oris habitu habuisset, cum pro filio educaret. Hæc sanè omnia, quemadmodum alia bene multa, quæ ibidem commemorantur, boni omnes pudenda admittendum, & turpia illicò judicabant. Ad do, Tertulianum in Apologetico retul-

lisse, viros gravissimos & Philosophos, Græcum Socratem, & Romanum Catonem uxores suas amicis communicasse; quod ego doleo vehementer traductum in canonem 2. caus. 12. quæst. 1. tibi sub nomine Clementis Papæ hæc leguntur: *Græcorum quidam Sapientissimus, hæc ita sciens esse, ait: communia debere esse amicorum omnia. In omnibus autem sunt sine dubio & conjuges. Horret animus ad hæc, & tùm demùm quiescit, quum intueretur, monumentum illud apocryphum esse, & ab eo tantùm auctore proditum, cujus mores perditii essent, atque corrupti. Utinam verò non ad hæc opinionem propè aliquando accessisset visus fuisset Augustinus, diùm in sermone 1. cap. 16. de sermone Domini in monte ita scribebat: *Rursum queritur, utrum si uxoris permittitur, sive sterilis, sive quæ concubitu pati non vult, adhibuerit sibi alteram vir, non alienam, neque à viro sejunctam, possit esse sine crimine fornicationis. Et in historia quidem veteris testamenti invenitur exemplum: Sed nunc præcepta majora sunt, in quæ per illum gradum generatio humana pervenit. Tractanda illa sunt ad distinguendas artes dispensationis divinae providentiæ, quæ humani generi ordinatissime subvenit, non autem ad vivendi regulas usurpandas. Sed tamen, utrum quod ait Apostolus, mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, possit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritali corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, nec à viro disjuncta, concubere; sed non ita est existimandum, ne hoc etiam femina viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit. Quamquam nonnullæ causæ possint existere, ubi & uxor mariti consensu pro ipso marito hoc facere debere videatur, sicut Antiochia factum esse prohibetur ante quinquaginta ferme annos Constantii temporibus. Hoc in loco subjicit Augustinus historiolum cujusdam uxoris marito consentiente in certis adjunctis extraneum passæ, post quam ita concludit: Nihil**

hinc in aliquam partem disputo: licet ætate æstimare, quod velit, non enim de divinis auctoritatibus de prompta historia est; sed tamen narrato factò non ita hoc respicit sensus humanus, quod in illa muliere viro jubente commissum est, quemadmodum antea cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Utinam, inquam, non propè ad hæc accessisset visus fuisset Augustinus; neque enim tunc adactus fuisset, ut materiam illam postulante Pollentio ad puriorem formam exigeret in libris de adulterinis conjugii; neque fateri debuisset in lib. 1. Retract. cap. 19. se in expositione sermonis Domini in monte scrupulosius tractavisse quædam, quæ facillè offensionem parerent, nisi cum cæteris à se aliis traditis jungerentur. Auctor canonis 4. caus. 27. quæst. 2. sub nomine Joannis Chrysostomi conjugii accommodavit vulgarem illam juris regulam, omnes res, per quasque causas nascitur, per easdem dissolvitur, ut concluderet, mutuo conjugum consensu posse matrimonia dirimi, propterea quod consensu mutuo contrahantur; quæ profectò sententia nemini placebit, præsertim quod sine Chrysostomi injuria dici id potest, quando ex opere imperfecto in Matthæum falso Sancto eidem viro tributo canon de promptu agnoscit. Quid memorem canonem 18. caus. 32. quæst. 7. in cujus conspectu non erubuit Gratianus scribere, se non teneri auctoritate Gregorii Pontificis, quod ejus monumentum sacris canonibus, imò Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ pœnitentiæ inventum adversum; aut quid memorem canonem 2. caus. 32. quæst. 2., seu, quod idem est, cap. 1. de despons. impub., in quo traditur, puerulos à parentibus in matrimonium datos, utrum non consentientes, teneri, cum adoleverint, in conjugio permanere etiam invitos? Duo hæc monumenta jam ego expendi in meis animadversionibus in Gratianum. Tantùm hoc in loco attingisse sufficiat, ut demonstraretur, rem esse valde arduam.

duam, & perdifficilem, quandoquidem in variis definiendis regulis honestatis in conjugii observanda homines etiam cultiores in varias abiverunt opiniones. Quid ergo? Nùm in hac re crassius adeo tenebris offundemur, ut quoniam ex consensu gentium universarum, & perpetua temporum disciplina vix quidquam firmum, & inconcusum colligere possimus, quas leges natura in celebrandis, fovendisque connubiis humanis mentibus præstituerit, ignorabimus? Si hæc regula jacienda generaliter esset, omnia ea esse juri naturali conformia, quæ gentes omnes saltem cultiores probaverint, & è converso abs jure naturali abhorere, quæ gentes omnes saltem cultiores inhonesta turpiaque putaverint, in grandi conflictu versabimur, in conspectu variarum disciplinarum, quas hucusque ex pluribus gravissimis viris, & cultis populis derivatas expendi. Si dicendum sit, naturæ præcepta satis unicuique esse perspecta, utpotè quæ intimè hærent mentibus singulorum, gravior fortè erit conflictus, eoque res deducetur, ut tot statuatur ferè naturalis juris dogmata, quot sunt capita; etenim si inconstantes invicem populos demonstravi, frustrà pollicerer, invicem consensuros animos hominum singulorum. Absit autem à me, ut ad hanc rem accommodare velim juris naturalis imaginem, quam tradidit Justinianus in principio instit. de jure nat. gent. & civ., scribens, jus naturale illud esse, quod natura omnia animalia docuit; neque enim adeo lubricam esse decet conjugiorum celebrationem inter homines, qualis est conjunctio belluarum.

Agèdum ergo præcepta verè naturalia demonstremus. Non est sanè, fateor, unius, aut alterius hominis utrum præstantis ingenii definire, quamquam inseruerit mentibus nostris natura, cum naturalis lex omnibus notissima, perspectaque esse debeat, & sita sit in communi consensione, dummodò gentes illas excipias, quæ ob offeratos mores jamdiu

justum injusto quasi ruentes in densa caligine miscuerunt. Hinc quamquam nonnulla sint, quæ contrariis opinionibus, & moribus obnoxia fuerint, plura tamen sunt, in quæ omnes, aut saltem cultiores gentes consenserunt. In his autem in primis juris naturalis magna pars est agnoscenda. Itaque nemo dubitat, quin naturali honestate, unde jus omne dimanat, homines eo inducantur, ut dum connubia ineunt, non tam augendo hominum numero, seu perpetuitati generis studeant, quàm ut ea sedulo curent, quæ societatem juvant, quodque omnium optimum est, & maximum, religionem, & pietatem erga Deum conjugii ipsius auctorem foveant, tam in conjugibus ipsis, quàm in prole suscepta; atque hinc statim deducitur, naturali jure ea omnia prohibita intelligi, quæ vel in ipsius conjugii usu procreationem sobolis impediunt, vel quæ editorum liberorum institutionibus adversentur, quod vergeret primùm in detrimentum civilis inter homines arctissimo naturæ ipsius fœdere junctæ societatis, deinde in Dei Optimi Maximi injuriam, & contemptum. Ex isto veluti principio ad clariorem naturalis juris explicationem præjacto, in quod facile est gentes universas, aut saltem cultiores, spontè adductas circumspicere, nemo non videt, quot numero, & quanta pendeant consecratoria; hinc enim commodè aut dissolvi, aut in clariore saltem luce collocari poterunt plurimæ disceptationes, in quibus passim versantur, quicumque de iis disputant, quæ in conjugii naturali jure aut permissa, aut vetita videantur, quæque inferius decursu tractationis juxta propositam methodum opportunitate data non omittentur. Sic igitur prima regula præstituta est, quæ jus naturale definitur illud, quod hominem ita dirigit, ut unaquaque ad suos fines à natura præstitutos adducat; quemadmodum enim natura operando, instituendoque certis habitis fines, ita naturæ legibus ille parere di-

etur, qui res exigit ad fines à natura ipsa propositos. Ergo in conjugii vitium habebit jure naturæ, quidquid in conjugio obesse possit perennitati generis, quidquid bono societatis, quidquid bono religionis, quando conjugia ad hæc omnia bona sunt jure naturæ directa.

Sufficeret generalis hæc regula humanis mentibus, quoties peccato originis, quod miserè naturam nostram universam infecit, labefactatæ non essent. Uti enim voluntas eo delicto vitium contraxit, & desectens à bono, in malum cæpit esse proclivis, ita intellectus eodem delicto depravatus est, & desectens à vero, falsa quandoquæ pro veris apprehendit; unde emergerunt inter homines de naturalibus etiam regulis conceptions, aliis inhonesta quædam esse dicentibus, quæ honesta aliis videntur, uti modò adnotabam. At grates sint Deo perennes, quòd quemadmodum voluntatem in mala pronam singulari gratia adjuvare dignatus est, ita & intellectum in falsa proclivem, oraculis suis ad verum, à quo valde deflexisset, reduxit, quod factum est per divinas sacrasque litteras, quibus lumen naturæ, cujus perspicuitati plurimum detractum erat, adjuvatur, & quo clarius sit, confirmatur. Heic ego constituo alteram regulam, qua fiat, ut quoties de naturali conjugiorum jure dubitatio emergat ob varias hominum opiniones, & mores, ad illam juris divini scripti partem confugiatur, in qua nihil est singularibus quibusdam causarum, personarum, aut temporum adjunctis accommodatum, sed generales præceptiones universo humano generi propositæ continentur; nimirum ad sacras veteris Testamenti litteras, non quidem illas, quæ singulares leges Judaico populo præstituerunt, in eis enim positivum jus versatur ut plurimum, sed eas, quæ primum ipsum nostrorum protoparentum conjugium historica narratione exhibent; siquidem seu ex factò ipso, seu ex Dei verbis ibidem

expressis, quid Deus naturæ auctor præstituerit, manifestissimè indicatur. Quidquod enim Paulus prædicaturus Corinthiis in epist. 1. cap. 11., mulieres viris natura subjectas esse debere, id demonstrat ex eo, quòd de viro educta mulier fuerit; juxta scriptam Genesi sacra Mosis traditionem? Quidquod idem Apostolus in cap. 5. epistolæ ad Ephesios virum & uxorem ad mutuam charitatem exhortaturus, provocavit ad Dei præceptum, Geneseos cap. 2. ibi: *Relinquet homo patrem, & matrem suam, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ex hoc ipso præcepto ego præterea deducere, naturæ jure vitium adparere, non connubia inter parentes & liberos fiant, quando cùm præcipitur, præ uxore relinquendos esse parentes, perspicuè indicatur, aliam esse parentum, & liberorum, aliam conjugum benevolentiam, ac necessitudinem. Quidquod vel ipse Christus Dominus interrogatus à Phariseis, an liceret viro dimittere uxorem, ad eadem Dei conditoris præcepta questionem exegit, quemadmodum testantur Matthæus cap. 19., & Marcus cap. 10. Memorata enim Geneseos verba, & unius tantum cum una conjugium esse debere, & nunquam dissolvendam esse conjugum necessitudinem, apertè demonstrant. Isthæ in hærentes vestigiis ecclesiastici Patres, quotiescumque disputandum fuit de naturæ jure in conjugii observando, ad primum illud nostrorum protoparentum Deo auctore celebratum connubium, veluti ad exemplar, cui cætera conformarentur, respererunt, ut quod in eo contrahendo statuit Deus, id pro naturali, & perpetua lege haberetur; can. 12. caus. 31. quest. 1., can. 12. 13. 15. 18. 19. & 20. caus. 33. quest. 5., cap. 8. de divortiiis, & alibi passim. Quid tradatur in hanc rem in libro Geneseos cap. 2. & 3., neminem arbitror ignorare. Eleganter ad illorum interpretationem videtur scripsisse auctor sermonis habiti in Concilio Carnotensi anni 1124. apud Mansium

sium tom. 2. Supplementi Eabbeani pag. 359. ibi: *In illo primorum Parentum conjugio masculinum & femininum communis assensus admixxit: etas amborum suscitanda proli conveniens: conjux una sub uno marito secretorie thori licentia vir uxorem cognovit. Individuum usque ad mortem matrimonium. Ecce formam, ecce primi terminos conjugii.*

Utinam verò rectissimis istis principiis constantissimè adhasissent homines, quorum major pars vitii obruta effræni libidine adeo se rapi permisit, ut non solum à sanctissimis naturalis pudoris regulis recederent, sed eos, qui quam longissimè recessissent, tanquam Deos sibi colendos proponere non erubescerent. Quis non intelligat, in tam nefario idololatria genere opportunum, saluberrimumque fuisse, ut Deus Optimus Maximus eos, quos cultui suo religiosis additos paternali sanè benevolentia diligebat, legibus palàm editis contineret, ne in pessima ruerent cum turba cæterorum? De Judæorum populo loquor, cui Sanctissimorum Patriarcharum vita, moresque integerrimi summi Dei clementiam singulari quadam ratione conciliaverunt. Huic enim instituendo divina auctoritate edita fuerunt triplicis generis præcepta, quorum aliis naturale jus ipsum luculentius exhiberetur; aliis, veluti cautionibus, populus uteretur ad evitanda quæcumque pericula polluentia, minuendaque religionis, unde fieret, ut filii sanctorum non possent ita conjungi, sicut gentes, quæ ignorabant Deum, sed in ipsis connubiis contrahendis Dæmonis potestatem evaderent, quemadmodum legitur apud Tobiam cap. 6. vers. 17., & cap. 8. vers. 5., aliis denique singularis quidam modus præstitueretur fovendæ inter ipsos Judæos, confirmandæque societatis, quo fieret, ut cùm singulari lege uterentur, nihil haberent, quod ab extraneorum moribus, qui sanè erant corruptissimi, exhaurirent, & in quo ad alia sequenda exempla provocarentur. Præcepta primi generis debuerunt

verè naturalium jure censi, proindeque haberi perpetua, à quibus nunquam homines essent recessuri. Hujusmodi est præceptum Exodi cap. 20. vers. 13., Deuteronomii cap. 5. vers. 17., ne quis mœcharetur, neve uxorem proximi concupisceret, eove minus duceret, adjecta positivo divino jure sanctione pœnali, sive pœna mortis adversus adulteros & mœchos indicta, Levitici cap. 20. vers. 10., Deuteronomii cap. 22. vers. 22. Hujusmodi quoque fuerunt præcepta, Levitici cap. 18. & 20., ubi cautum legitur, qui proximi essent cognatione, nuptias unà contraherent, non filii parentibus, non fratris sororibus, non sive ex uno tantum, sive ex utroque parente conjunctis, non patruis nepti, aut nepos amitæ jungerentur; item ut adfinitatis ratio haberetur, eamque ob rem non privignos novercam, non vitricius privignam, non socerurum, eademque de causa non gener socorum, non maritus sororem uxoris, non frater uxorem fratris non nepos uxorem patris, vel avunculi duceret. Fortè quisquam adhuc in hac re deliberandum putaret, nùm præcepta isthæc universa jus potius positivum contineant, nùm naturalem legem clarius explicent, gravem dubitationem concitant primigenia conjugiorum institutione, quæ demonstrat, post conjugium protoparentum nostrorum, statim matrimonia inter fratres, sororesque fuisse contracta, & quidem ita ipsa disponente natura. Novi, quæ vulgò, & passim tradi solet; nimirum à generali naturæ lege dispensari initio debuisse, propterea quòd aliter perpetuitati generis prospici nequisset. At enim mihi, ut verum candidè fatear, non satis placere potest ista traditio, quasi non procul sit à contumelia quadam in providentiam divinam inferenda; neque enim æquum videtur ita judicare de summo Numine naturæ conjugiorum institutore, ut eas naturæ leges præstitueret, quæ statim, & illico servari non possent, unde extemplo dispensa-

tionem indigerent, eo ipso tempore, quo primum ferè indicentur, insectendæ, inturbandæ. Magis lubet ita in primis cum S. Augustino diserere. Inter bona, quæ ut ex conjugii dimanarent, natura præstituit, est perpetua charitas, quæ universos homines firmiter sociaret, ac devinciret; frigusset enim, aut tepuisset illa, si homines universi per varios surculos geniti, & remota, ac per gradus propemodum infinitos declinante cognatione sese mutuo spectantes, quoddam vinculum paratum sibi non intellexerent, quo sociari arctius iterum possent; quod maxime fit matrimonii, majorem sanè, & quasi fraternam benevolentiam conciliantibus, quibus fit, ut non duo homines tantum, sed duæ etiam familiae unius specie ob novam inductam necessitudinem habeantur. Generalis iste conjugii finis, quem natura spectavit, in filiis protoparentum optimè implebatur, cum matrimonio ipsi invicem jungerentur. Tunc enim natura minus verebatur de discordia inter parentes, & liberos concilianda; tantum timebat de fraterni dissidio; proindeque tantum sollicita de fraterna charitate fovenda, his ipsis de causis, quibus parentibus abstinentium præcepit à conjunctionibus liberorum, voluit, ut liberi invicem jungerentur, quo inde solidior redderetur fraterna concordia; tum verò primum vetitum etiam voluit, ne fratres sorores ducerent, quando plures emergerent propagatorum hominum gradus, quorum instaurandæ benevolentia studendum opportunius videretur. Quamobrem ita cuncta ex ordine Divina Providentia tribuit, ut quoties magna spes esset futurum, ut homines invicem jam arctissimum vinculo colligati mutuis se adfectionibus complecterentur, tum demùm de conjugii inter alios potius incundis legem explicaret, de quibus tanta spes haberi non poterat. De duorum hominum ex eodem parente progenitorum charitate, ubi multiplex, & fusa propago esse cœpit, magnam habuit natura fidu-

ciam, satisque putavit societati consultum si in arctissimum sanguinis vinculum fovendam inter eos charitatem referret, maluitque curam sollicitiorem habere remotiorum, istos præ illis ad novos matrimoniorum nexus advocando. Quod de fratribus, & sororibus dico, faciliè unusquisque accommodabit patribus, vel avunculis & nepotibus, privigno & novercæ, vitrico & privignæ, socio & nurui, marito & sorori uxoris, uxori & fratri mariti, nepoti & uxori patris, vel avunculi. Verba Augustini, quibus tota hæc observatio innitur, habentur in lib. 15. de Civitate Dei cap. 16. ubi de Filiis Adæ invicem conjugio junctis disserebat Sanctus Antistes: *Habita est ratio relictissima charitatis, ut homines, quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis neciterent, nec unus in uno multas haberet, sed singula spargerentur in singulos; ac sic ad sociale vitam diligentiùs colligandum plurima plurimos obtinerent. Pater quippe, & socer duarum sunt necessitudinum nomina. Ut ergo alium quisque habeat patrem, alium socerum, numerosius se charitas porrigit. Utrumque autem unus Adam esse cogeatur & filiis, & filiabus suis; quando fratres, sororesque conjugio jungebantur. Sic & Eva uxor ejus utriusque sexus filiorum fuit & sororus, & mater; quæ si duæ feminæ fuissent, mater altera, & socera altera, copiosius se socialis dilectio colligaret. Ipsa demique jam soror, quod etiam uxor fiebat, duas tenebat una necessitudines, quibus per singulas distribuitis, ut altera esset soror, altera uxor, hominum numero socialis propinquitas augetur. Sed hoc unde fieret, tunc non erat, quando nisi fratres, & sorores ex illis duobus primis nulli homines erant... Fuit antiquis Patribus religiosa cura, ne ipsa propinquitas se paulatim propaginum ordinibus diviniens longius abiret, & propinquitas esse desideret, eam nondum longe positam rursus matrimonio colligare, & quodammodo revocare fugientem. Non heic subsisto: altera enim opportuna est observatio in eodem argumento. Quædam sunt, quæ non ab initio natura præstituit speciali lege, quod causas præstituenti deficerent, inde tamen*

subortis causis, naturalibus præceptionibus comprehensa intelligimus. Ut exemplum perspicuum tradam, fateri necesse est, furtum esse natura probum; at interea naturale furti interdictum non percipiebant homines, quousque in bonorum omnium communione constituerunt, tum primum natura vetare furtum incipiente, cum de dominiorum constitutione cogitatum est, & deventum ad rerum divisionem. Ut propius ad rem accedam, progredior, & ajo, quosdam actus suapte natura minimè turpes, tales esse cœpisse post peccatum originis, quod voluntatem ex eo pronam in malum faciliùs detorquerent, ac premerent; unde post lapsam Sacræ Literæ Genesis cap. 3. vers. 7. tradunt, Protoparentes fecisse sibi perizomata, de quibus sollicitè non fuerant ante lapsum, quin erubescerent, Genesis cap. 2. vers. ult. Cur non idem dicendum sit de corporum commixtione, quæ in integro hominum statu pura omninò, & sine labe fuisset, post lapsum autem, quia, ut scribit S. Fulgentius in epist. 1. ad Gallam cap. 3. sine libidine in corpore mortis hujus proles humana non seritur; non eam affectant conjugia casta, sed tolerant, non nihil habere cœpit, in quo turpituudo quædam inest, ut venia digna, quod, uti prosequitur Fulgentius in cap. 4., *retenta thori fides maculam diluit, quam contrahit infirmitas carnis?* Idcirco post lapsam naturam, quicquid antea extitisset, emersit nova causa novi præcepti, quo fieret, ut fratres à sororum, vitrici à privignarum, privigni à novercarum nuptiis, cæteræque hujusmodi arctioribus vinculis junctæ personæ invicem abstinerent. Imò & ex hoc gravius esse cœpit antiquius illud naturale interdictum, ne parentes liberis jungerentur. Re enim vera copulatus filius matri, aut filia patri, in usu conjugii, paternæ, maternæve culpæ, utut levissimæ, conscii redderentur; unde faciliè etiam surerent occasionem, eandem ipsam sui ipsorum originem, ad quam faciliè respicerent, quodammodo abomi-

mandi. Quæ profectò ratio locum habere quoque videtur in fratribus, in sororibus, in nepotibus, in patris, in amitis, in avunculis, in materteris, in novercis, in vitricis, in privignis, & hujus generis conjunctissimis personis, quæ ob intimam, quæ cum patre, vel matre interest, necessitudinem, exhibent quodammodo, presentemque constituunt paternam ipsam, maternamve personam. Formulæ sacrarum litterarum in cap. 18. & 20. Levitici expressæ, id, paucis quidem, sed perspicue demonstrant, neque enim aliter ego intelligere possum præ cæteris verba illa: *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tue, non discooperies: mater tua est: non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpituudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tue ex patre, sive ex matre, que domi, vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filie filii tui, vel nepis ex filia non revelabis, quia turpituudo tua est &c.* Quoties ad hanc trutinam res exigatur, faciliè concludi posset, nuptias præsertim inter fratres, ac sorores primigenio jure naturæ attentò non fuisse interdictas, imò & sub initium saltem propagandi humani generis providè constitutum, ut qui matrimonio jungendi forent post protoparentes ex eisdem nati parentibus essent; quamquam ut interdicti naturæ jure inde deberent tales nuptiæ, contingerit in posterum, ubi peccatum est, quasi novo, & veluti secundario naturali jure accedente; tum verò non inficiamus iverim, necessariam fuisse, & reverà factam ab hoc naturalium preceptorum genere Deo ipso auctore dispensationem, & quidem sine injuria naturalis divinæ providentiæ, cui satis erat ad peccatum laudem tales initio regulas præstituisse, à quibus nunquam deflecteretur, quoties & ordinem universum sibi præstitutum homines benè agendo, divinisque parendo præceptionibus servavissent.

Alterum preceptorum genus à Deo datum Judæico populo, dixi consistere in suppeditandis quibusdam cautionibus, qui-

quibus populus idem pericula quæcumque pollundæ, minuendæve religionis evaderet, evitaret. Eò spectat interdictum illud, ne Judæi cum gentibus, sive cum extraneæ religionis hominibus fœdera conjugiorum inirent, Exodi cap. 34. vers. 16., Deuteronomii cap. 7. vers. 3., Josue cap. 23. vers. 12., Judicum cap. 3. vers. 6., Esdræ lib. 1. cap. 2., & 10., lib. 2. cap. 3. vers. 23. & 24.; quod sanè præceptum, quo non à re suapte natura mala, sed tantum periculosa cavendum indicabatur, non eousque propterea referebatur, ut nunquam ab eodem recedendum foret, præsertim cum vel ipsa fovendæ, servandæ, propagandæve religionis utilitas aliud suadere videretur, Deo ipso aliquando ita operante, ut ex connubiis Judæorum cum alienigenis contractis publicum Religionis bonum emergeret, quemadmodum evenit in conjugio Samsonis, juxta caput 14. Judicum, & in connubio Esther, juxta caput 2. Esther cap. 17.

Postremum præceptorum genus à Deo datum Judaico populo, dixi consistere in quodam præstituendo modo fovendæ inter ipsos Judæos, firmandæque societati accommodato. Eò pertinet generale interdictum, ne quis extra tribum suam, una excepta Levitica, nuptias celebraret, ne fortè contingeret, ut occasione dotium, aut legitimarum successionum, prædia, & loca uni tribui concessa ad alteram transferrentur, unde tribuum à Domino recto ordine discretarum confusio exoriretur, Numerorum cap. ult. Eò etiam pertinet mandatum de fratris semine suscitando, ne defuncti nomen deleteret ex Israel, uti legitimum Deuteronomii cap. 25. vers. 5. & 6., juncto cap. 38. Genesis, ubi factum Judæ describitur; aliaque non absimilia constituta, in cap. 22. Deuteronomii de querelis mariti adversus uxorem discutendis, de stupri pœna, de vi in sponsam alterius illata, ac denique in cap. 24. Deuteronomii de libello repudiij, de cuius causis, & juribus inferius commodiore

loco agendum erit. Atque isthæc præcepta veluti ad singularem Judaici populi disciplinam accommodata, cum lege ipsa Judaica vel Ceremoniali, vel Judiciali, post prædicatas novi testamenti præceptiones sine dubio cessaverunt. Ceterum ex his omnibus constat, quam sollicitam gesserint curam Patriarchæ veteres, & Judaici populi Principes Summo Deo illustrante, atque mandante, ut nihil in iis, quæ ad procreationem, educationemque sobolis pertinerent, nisi honestum, atque ad rectos conjugii fines exactum, in populo Dei, qui non sequeretur abominaciones gentium, admitteretur.

Quòd si Judæos tanta olim Deus clementia prosecutus est, ut rectas leges, quas in conjugijs sequerentur, ipse præscriberet, & quoquo modo sese conjugiorum fidelis populi auspiciem faceret, quid non ex clementia Dei Servatoris sperandum erat Christiano populo, eo majoribus subsidiis præ Judæis adjuvo, quo majore præ Synagoga Summi Numinis benevolentia Ecclesia gloriatur? Reverà, ubi Ecclesia fundamenta jecit Christus Dominus, non solum à quocumque fornicationis genere declinandum voluit, unde ipsum etiam libellum repudiij ob duritiam cordis Judæorum olim à Mose concessum abolevit, Matthæi cap. 19., quo inter virum, & uxorem perpetua charitas in proliis etiam beneficium perseveraret, sed etiam adeo miserus est infirmitati fidelium, ut in ipso contrahendo conjugio ministrari, ac suscipi Sacramentum instituerit, ad augendam, conferendamve gratiam; ac propterea in iis ipsis, in quibus homines si plus æquo sibi indulgent, ruendi periculum invenire facile possunt, præsidium quoddam salutis ad mentem, & corpus continendum in officio collocaverit. Neque heic constitit Christus Dominus: voluit enim, ut in conjugio ipso animi hominum sublimius suspicerent, quando in conjunctione viri, & uxoris symbolum quoddam inesse decrevit conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, quo spec-

tans

tans Paulus Apostolus in cap. 5. epist. ad Ephesios ita scribebat: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Hinc sapissimè vel in ipsis sacris litteris & Christus, & Ecclesia sub sponsorum imagine exhibentur, Matthæi cap. 25., 2. ad Corinth. cap. 11. vers. 2., Apocalyps. cap. 19. vers. 7. & cap. 21. vers. 9., ut passim omnes intelligerent, in ipsis etiam nuptiis esse de cultu, & religione in Deum, de honestate, de moderatione, ac temperantia cogitandum, quò pertinet, quod ait Paulus 1. ad Corinth. cap. 7., nimirum qui habent uxorem, tales videri, ac si non habeant, quod dictum Apostolus ita voluit, non ut laqueus injiceretur, sed ut id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi, obtineatur. Quid profectò, nisi honestissimum, & sanctum, in conjugio geret maritus, quando Christi, qualem etiam fidem, & continentiam profitebitur uxor, quando Ecclesiæ se imaginem gerere sedulo meditentur, & animo versent diuturno? Post hanc saluberrimam institutionem nihil propemodum in conjugio relictum esse videtur, quod pro rei sacræ signo, quo conjuges ad Deum semper elevari possint, non habeatur. Paucis & non inelegerit id explicavit auctor memorati sermonis habiti in Concilio Carnotensi anni 1124. ibi: *Sacramentum sacra rei signum esse, non contemnenda tradit auctoritas. Quòd autem sub nubilibus annis celebranda sunt nuptia, sacra rei signum est. Quòd assensu viri simul, & mulieris, sacra rei signum est. Quòd uni sui tantum conjugati, sacra rei signum est. Quòd indulgetur invicem genitivo usui, & honesto, sacra rei signum est. Quòd separari non possunt in Domino conjuncti, sacra rei signum est. Idcirco eam Apostolus de conjugio loqueretur, magnum, inquit, hoc Sacramentum; dico autem in Christo, & in Ecclesia: nimirum Sponsus Ecclesiæ Christus, sponsa Christi Ecclesia. Clarius dicam: Non à mundi incunabulis Christus adveniens sibi Ecclesiam sponsam elegit, sed certum expectatum est tempus; in nubiliu annorum imaginem.*

Spontè, & liberaliter, & omnino ex benevolentia Christus sibi Ecclesiam, nec nisi consentientem sociavit; en imaginem consensus viri, & uxoris. Unicam Christus sibi elegit Ecclesiam, sine benevolentia divisione; en imaginem conjugij, quod unum esse debeat, & individuam. Per Christum in Ecclesia regerantur homines Sacramentis, & ad cœlestem universitatem diriguntur; en imaginem conjugalis generationis, & liberorum educationis ad bonum societatis humanæ. Promisit Christus Ecclesiæ suæ, se eidem perpetuo vinculo adhæsurum; en imaginem conjugij nunquam à viro, aut uxore dissolvendi. Fuerunt isti miri sanè, & verè divini modi, quibus humana ratio post lapsam naturam inferiore appetitu quodammodò subjugata, tandem aliquando juvantibus Christi meritis, in libidinem, & in alios non rectos impetus firma moderatione, ac temperantia dominaretur.

Quid verò adeo sanctum est, ac venerabile, quod impii homines ausu temerario, & sine verecundia adgressi non fuerint? Hæretici isti fuerunt, in divinam benignitatem injuriam inferre conati, qui solemnes ipsas, & ecclesiastico ritu celebratas nuptias è Sacramentorum numero expungendas dixerunt, digni propterea, quos anathemate damnaret Ecclesia in Concilio Tridentino sess. 7. can. 1., & sess. 24. de Sacramento matrimonii cap. 1., quos etiam olim & antiquius damnassent, si antiquioribus sæculis prodiissent. Sanè quicumque perpendat in hac re unanimes universæ Ecclesiæ seu Latinæ, seu Græcæ consensionem; quicumque præterea respiciat ad perpetuam ecclesiasticorum Patrum traditionem, cui jungantur apertissima scripturarum sacrarum testimonia, non poterit non agnoscere in nuptiis verum institutum à Christo Domino Sacramentum. Ipse jam Sanctissimus Gentium Apostolus, uti superius traditum est, conjugium appellavit nomine *Sacramenti magni*; deinde Sancti Patres, à vetustissimis ipsis exordiendo, idem perspicuè tradiderunt.

runt, Martyr Ignatius, qui ætatem ferè attingit Apostolicam, in epist. ad Polycarpum ita scribebat: *Decet, ut sponsi, & sponsa de sententia Episcopi conjugium faciant, quo nuptia sine secundam Dominum, & non secundam cupiditatem.* Et ibidem: *Nubat in Ecclesia benedictione Ecclesia ex Domini precepto.* Et rursum: *Tametsi veteri lege matrimonium solo contrahentium consensu ratum consisteret, Christiane nihilominus leges Sacerdotalem benedictionem adhiberi adeo religiose sanxerunt, ut eam temerè pratermittere, primis Christianis piaculum videretur, occultasque nuptias reputarent, quibus hæc præter Domini præceptum formam deesset.* Clemens Alexandrinus secundi sæculi scriptor meminit manus impositionis, quæ à Sacerdote sponsæ benedictio fiebat, in libro 3. Stromatum reprehendens sponas nimium ornatas ad Ecclesias accedentes, ibi: *Cui manum imponet Presbyter? Cui benedictio? Nam mulieri (nimirum nubenti) quæ est ornata, sed alienis capillis, & per illos alii capiti? Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. ult. ita scribit: Unde sufficium ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obignat benedictio, Angeli renunciant, & Pater ratum habet. Episcopi Concilii Mediolanensis sub finem quarti sæculi in epistola ad Siricum inquirunt: Non negamus, sanctificatum esse à Christo conjugium divina gratia fundatum.* Idem Siricus Papa in can. 50. caus. 27. quæst. 2. commemorat benedictionem, quam nupturæ Sacerdos imponebat, quamque violare instar esset sacrilegii. Junge canonem 33. dist. 23., seu canonem 5. caus. 30. quæst. 5., qui pertinet ad Carthaginense vulgò IV. Concilium anni 398., item caput 6. epistolæ Innocentii I. ad Victricium. Quidquod idem Innocentius in can. 2. caus. 34. quæst. 1., conjugium legitimum vocat *Gratia divina fundatum?* Quidquod Leo Magnus in can. 17. caus. 27. quæst. 2. ait, nuptias à principio ita constitutas ut se haberent *conjunctionis Christi, & Ecclesie Sacramentum;* quod idem est, ac quod dicitur in fine canonis *nuptiale mysterium;* non *ministerium;* uti nonnulli de-

pravati Gratiani Codices exhibent? Quod si ad recentiora tempora deveniendum sit, in medium proferri poterunt Capitularia Francorum lib. 7. cap. 389., quibus statuitur, ducendas uxores esse cum benedictione Sacerdotis, sicut in Sacramento continetur; item responsa Nicolai I. ad Bulgaros cap. 3., quibus indicatur, sponso in Ecclesia Domini per Sacerdotis manum statui, sicut demum benedictionem, & velamen caeleste suscipere. Addi possent cap. 9. de simonia, cap. 9. de Hæreticis, Constitutio Martini V. in fine Concilii Constantiensis anni 1415., quæ jubetur, suspectos de hæresi interrogari, an credebant, quod Christianus contemneret susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extreme unctionis, vel solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter; & tandem decretum Eugenii IV. pro Armenis, ubi perspicua Sacramenti matrimonii doctrina proponitur. Non est omitendum, quod in hærens Apostoli Pauli vestigiis tradidit S. Thomas in caput 5. epist. ad Ephesios lect. 10. ibi: *Quatuor Sacramenta dicuntur magna: Scilicet Baptismus ratione effectus, quia delet culpam, & aperit januam Paradisi: Confirmatio ratione Ministerii, quia solum à Pontificibus, & non ab aliis confertur: Eucharistia ratione continentia, quia totum Christum continet: Matrimonium ratione significationis, quia significat conjunctionem Christi, & Ecclesie.* In conspectu horum omnium, sive verbi Dei scripti, sive verbi Dei per Patres non interrupta temporum serie traditi, quam superesse dubitatio potest, quin matrimonium inter Sacramenta novæ legis jure optimo recenseatur? Nimirum quoties signo quodam sensibili ex divina institutione gratia Dei confertur, quid deest amplius, ut illud Sacramentum esse dicamus? In conjugio celebrando si aut elicatum conjugum consensum aut Sacerdotalem benedictionem consideres, signum semper sensibile agnosces: eodem signo gratiam Dei conferri, & quidem ex divina institutione, memorati Ecclesie Patres tradiderunt. Debebit igitur in conjugio fidelium verum novæ legis Sacramentum agnosci.

Post

De conjugiorum natura, dignitate, & qualitatibus universis. 17

Post divinam hanc institutionem ad sacra rei dignitatem elevata, fidelium nuptiæ, quo celebrarentur honestius, ecclesiasticis legibus pro temporum opportunitate latis ita directæ fuerunt, ut nihil in illis admitteretur, quod Sacramenti religioni minimè conveniret, juxta facultatem Ecclesie à Christo concessam, agnitamque in Tridentino Concilio in sess. 24. de Ref. matrim. can. 3. & 4. Hinc sæpè in ecclesiasticis conventibus generalibus aequè, ac singularibus provinciarum, vel dioceseon, saluberrima multa constituta scimus, quibus celebrandi matrimonii formæ, ac modi decore, & ad sacra mysteria appositè stabilirentur. Religiosi etiam Principes non defuerunt, qui optimas contractibus conjugiorum leges dicerent, easque, quibus dum ad civilem societatem magis magisque firmendam, ad promovendam familiarum decora, & ornamenta Civitatum, atque ad tranquillitatem reipublicæ curandam, matrimonium dirigerent, eam formam induerent, quæ decentius consecrari per Ecclesias possent; unde heret, ut, quoniam duplex ex matrimonii bonum, spirituale primum, civile alterum, ad utrumque curandum & viri ecclesiastici, & piissimi Principes in unum conspissare viderentur, juxta doctrinam S. Thomæ scribentis, tum in 4. dist. 34. quæst. un. art. 1. ad 4., tum in 4. contra gentes cap. 78., humanam generationem, quæ ex matrimonio pendet, ad tria potissimum ordinari, nimirum ad perpetuitatem speciei, ad perpetuitatem boni politici, & ad perpetuitatem Ecclesie; eamque ob rem, quemadmodum in iis, quibus ordinatur ad speciem perpetuare, dirigitur à natura in eum fine inclinante, ita in iis, quibus ordinatur ad bonum politicum, subiacere ordinationi civilis legis, & in iis, quibus ordinatur ad bonum Ecclesie, ejusdem Ecclesie regimini subiacere.

Colligitur ex his, distare plurimum matrimonium Infidelium à matrimoniis,

Tom. III.

Christianorum divino ritu contractis. Si quidem in illis, dummodò saltem naturalis honestas servetur, & publici in humanam societatem exinde convenientis boni ratio habeatur, simplex contractus ad publici juris formam exigendus dignoscitur, & quidem illius generis, qualem Romani veteres definitiebant, nimirum in quo non tam ageretur de conjunctione viri, & mulieris, quam de individua inter conjuges vitæ consuetudine inveniunda, uti tradidit Justinianus in s. 1. institut. de patria potestate, & ex eo Alexander III. in cap. 11. de præsumptionibus; vel uti olim tradebat Modestinus in l. 1. ff. de ritu nuptiar., de consortio omnis vitæ, & divini, humanique juris communicatione: in istis verò, seu matrimoniis Christianorum, quoties ex præscripto Christi Domini & Ecclesie contrahantur, præter civilis contractus formam, Sacramenti etiam ratio, & virtus inest. Quamobrem nuptias apud Christianos ritè contractas ita definitis, ut sint viri, ac mulieris justa conjunctio cum dignitate Sacramenti. Si fortè quemquem turbet Innocentii III. rescriptum in cap. 8. de divortii, scribentis, *Conjugii Sacramentum apud fideles, & infideles existere, monebo illum, Sacramenti nomine ibidem non nisi improprie ad infidelium conjugia referri;* nimirum ut intelligatur pro vinculo quodam ætissimo, & indissolubili, quo adhuc significari possit mysterium conjunctionis Christi, & Ecclesie; quando in sacris literis etiam ante novum Testamentum jam sub nomine sponsoium & Christus, & Ecclesie prophetico dicendi genere designabantur. Qua in significatione etiam alibi Innocentius rescripsit, ante baptismum posse suscipi Sacramentum conjugii, sicut & Sacramentum ordinis ante baptismum apud veteres Levitas susceptum est, cap. 3. de presbyt. non baptizato. Neque enim suspicor, exinde quendam posse concludere, Innocentium putavisse, jam in veteri lege ordinem Sa-

C

gra-

cramentorum numero habitum fuisse; sed tantum improprie, & eatenus, quantum in Levitico prisco ministerio figura erat Pontificatus, & ordinis novæ legis, in quo demum Sacramenti dignitas futura fuisset. Cæterum idem Innocentius hoc discrimen perspicue explicavit in cap. 7. de divortii, ex quo nihil amplius superesse potest dubita-

QUÆSTIO I.

De vulgari matrimonii partitione in legitimum, raptum, ac consummatum.

Nescio, an primus Gratianus apud cultores canonum, an primus Petrus Lombardus apud Theologos, uterque sanè recentiorum scholarum Parentes, & Duces, ad explicandas magis perspicue varias connubiorum qualitates, & gradus, distinxerint inter conjugia legitima, & conjugia rata; imò tradiderint, alia esse conjugia legitima simul, & rata; alia legitima quidem, non rata; alia è converso rata, non verò legitima; an potius uterque vulgaverint commentariis suis, quod recens ex instauratarum sui temporis scholarum disciplina accipere potuerunt. Ait Gratianus post canonem 17. caus. 28. quæst. 1., conjugium legitimum esse, quod legali institutione, vel provincie moribus contrahitur; quod ipsum eisdem ferè verbis explicat Lombardus in lib. 4. sentent. dist. 39. in fine; addit tamen Vir Theologus legitimum esse conjugium, quoties præterea non contra *iussum* Domini contrahatur. Hujusmodi exemplum profertur in conjugio inter infideles inito, apud quos nullum potest esse conjugii Sacramentum. Ratum illud appellant, quod à fidelibus ex præscripto Ecclesie celebratur, cui Sacramenti dignitas, & virtus inest, etiam si forte desint dotales tabulæ, aliæve similes civilis contractus formulæ, quæ solemnita-

tionis, ut concludatur, Innocentium censuisse, inter solos fideles, & baptizatos verum esse posse conjugii Sacramentum. Nondum tamen videtur ista in luce clarissima collocata, nisi hoc in loco nonnullas questionibus subjiciam, in quibus enodandis canonum cultores etiam studiosissimi non parum laboraverunt.

tem matrimonii augere videntur, ac celebriorem. Quod si & istæ juris publici sollicitudines interveniant, matrimonium ratum æquè, ac legitimum esse dixerunt. Non est, cur quisquam repugnet recentioribus istis loquendi modis, præsertim postquam in Pontificum Maximorum rescriptis adhiberi cœperunt, unde probati videantur, cap. 7. *versum est de divortii*. Reverà, licet apud antiquos Patres non eadem omnino adpareant loquendi formulæ; in eandem tamen universi illi ivere sententiam, ut potè qui infidelium conjugium passim agnoverunt tanquam legitimum, & in ipso non mediocri nuptiarum bonum; conjugium autem fidelium ex præscripto Ecclesie celebratum stabilis adhuc, & longè difficilior dissolvendum esse dixerunt ob Sacramenti firmitatem. Neque displicere ad hanc rem cuiquam potest *rati* conjugii vocabulum: siquidem apud Latinos Scriptores id ratum dici solet, quod magis firmum est, atque inconvulsus; unde ratos legimus haberi contractus, quibus firmandis solidius quoddam præsidium accedit; unde etiam nonnulla jure valere dicuntur, quamquam adhuc rata non sint, argumento l. 3. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor., quemadmodum & rata fieri posse, quæ ex juris subtilitate non valebant, l. 3. *cod.*

De vulgari matrimonii partitione in legitimum, ratum, &c. 19

de contrah. & commit. stipul. Quod si veteres Ethnici ratas hominum preces Diis fusas dixerunt, quibus Diis ipsi favissent, juxta illud Ovidii lib. 1. *Fastorum* prope finem: *efficiantque ratas straque diva preces*, quasi eas, quæ non in irritum fusæ fuissent; potiore jure nos rata conjugia appellabimus, quæ sunt apud Ecclesiam stabilita superna benedictione, juxta phrasim Tertulliani jam superius laudati, cum matrimonium memoraret, quod *Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsequat benedictio, Angeli renunciant, Pater RATUM habet*.

Ecquidem video, perspectissimum esse rem, quæ passim sub oculis ponitur, cum dicitur, aliquando conjugium esse & legitimum, & ratum; quod scilicet, & juxta publicas leges contractum sit, & Sacramenti habeat dignitatem; item cum dicitur, esse legitimum tantum, non ratum; quod scilicet legibus publicis Civitatum consentaneum sit, sed vel ob personæ defectum, vel ob alias causas Sacramentum esse non possit. At verò cum traditur, aliquando ratum esse, non legitimum, juvat id paulo cum latius, tum clarius explicare. Ex iis, quæ jus civile non probavit, quedam sunt omnino damnata, ut nullum omnino sortiantur effectum; quedam autem, quæ licet non omnino probata sint, eamque ob rem civilis effectus careant, in sua tamen adhuc natura consistunt, ac si apud Romanos cives non agerentur. Est hæc generalis pactionum universalium doctrina, quarum aliqua poenitus evertuntur positiva lege alicujus populi, vel quod minus honesta, vel quod Reipublicæ perniciosæ videantur; aliæ è contrario quemquam non omnino juventur, sustineantur, quod certa, jure publico, præstituta forma desituta sint, adhuc tamen naturalem obligationem inducunt, quod non sint omnino damnata eademque proprie pacta nuda appellantur. Accommodemus regulam matrimonii, quæ sanè & ipsa, pactione, sive con-

sensu ineuntur. Justa conjugia sunt, quæ ad legum publicarum sanctiones undecumque exacta deprehenduntur. Ad injustorum conjugiorum duplex est species: alia enim licet injusta, adhuc tamen conjugia sunt, nimirum hinc non habentia omnes publici juris effectus, illinc non omnino damnata, quasi nullo naturæ jure consistant. Quamobrem bellè Ulpianus in l. 13. §. 1., juncto §. 4. ff. ad leg. Jul. de adult., tres mulierum species indicavit, uxorem justam, uxorem injustam, & eam, quæ uxor nec dici, nec esse potest; ut in uxore sive justa, sive injusta adulterium committeretur, non in ea, quæ quamvis ducta, putè ob consanguinitatem nec dici uxor, nec esse potest: & quando injusta uxor adhuc ab ea, quæ nec dicitur, nec est uxor, distinguitur, quis inficiari potest, injustam uxorem dici, quæ legibus Romanis uxor non habetur, uxor tamen proprie est naturalis jure, quod positiva lex minime immutaverit. Exempla perspicua sunt. Quid enim, si servi, aut peregrini, uno verbo, quotquot cives Romani non essent, matrimonium contraxissent? Justum hoc conjugium Romanis legibus non habetur, prius, inste, de nuptiis, quin tamen conjugium idem Romana lege damnetur; quo propterea in genere, juxta Pomponii phrasim in l. 8. ff. de ritu nupt., non legibus quidquam definitum adparet, sed ex moribus judicatur. His positus, dico, Sacramentum conjugii accedere posse conjugio, seu quod justum sit, seu quod injustum, dummodo non lege damnatum. Siquidem statim ac consistit conjugium, etiam si ex mera naturalis juris simplicitate sine majore juris publici præsidio, jam quidquam profectò positum est, cui Sacramentum accedat; quemadmodum si de jurejurando sermo sit, jure dicitur, istud pactionibus accedere non posse lege damnatis, ne vinculum iniquitatis habeatur, posse tamen accedere pactionibus non undecumque lege probatis, auth. *Sacramenta puberum* *cod.*